



The Holy See

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

***DE SACRIS CONGREGATIONIBUS SUPER DISCIPLINA REGULARI
ET DE STATU REGULARIUM ORDINUM EXTINGUENDIS****

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplarem aliam Romani Pontifices, decessores Nostri, congruenter necessitatibus temporum, adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiis sancti instituti integritatem, die XVIII Iulii an. MDCXCV Const. Sanctissimus, Congregationem instituit super Disciplina Regulari, quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici consilia suggerere quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem de Statu Regularium Ordinum, quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat, decreto die VII Septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod memoratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare novisque fovere decretis.

At vero, mutatis hodie adjunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum, illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Congregatio super Disciplina regulari iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de Statu Regularium Ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature perpensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super Disciplina Regulari tum de Statu Regularium Ordinum penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod

autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse,
contrariis quibusvis minime obstantibus.

*Datum Roma e apud S. Petrum, die XXVI Maii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus
Nostri tertio.*

PIUS PP. X

*AAS, vol. XLI (1908), pp. 203-204.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana